

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Caritas a
cum fonte primo

In caritate

pauper est diues; sine caritate omnis diues est pauper.

Hec in aduersitatibus tollerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hylaris est; in temporalibus ditissima, in hospitalitate latissima; inter bonos fratres letissima, inter falsos patientissima; in Abel per sacrificium lata, in Noe per diluuium secura, in Abrahe peregrinatione fidelissima, in Moyse inter iniurias lenissima, in Daud tribulationibus mitissima; in tribus pueris blandos ignes innocenter spectat, in Machabeis seuos ignes fortiter tollerat; casta in Susanna supra uirum, in Anna post uirum, in Maria preter uirum; libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, diuina in Christo ad ignoscendum. Quid dicam de caritate?

Si linguis hominum loquar et angelorum caritatem autem non habeam,

nichil sum.

Ipsa enim est anima litterarum, prophetie uirtus, sacramentorum salus, sciencie stabilimentum, fidei fructus, diuicie pauperum, uita morientium.

Augustinus de laude caritatis.

Quapropter, fratres, sectamini charitatem, dulce ac salubre vinculum mentium, sine qua diues pauper est, et cum qua pauper diues est.

Haec in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris; in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima; inter veros fratres laetissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noe per diluuium secura, in Abrahae peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter iniurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima. In tribus pueris blandos ignes innocenter exspectat: in Machabaeis saevos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga uirum, in Anna post uirum, in Maria praeter uirum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum: humana in Christianis ad confitendum, diuina in Christo ad ignoscendum. Sed quid ego de charitate majus aut uberius possum dicere, quam quas per os Apostoli laudes ejus intonat Dominus, supereminentem viam demonstrantis atque dicentis:

Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum aeramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et sciero omnia sacramenta, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nichil sum. Et si dona uero omnes facultates meas, et si distribuero omnia mea pauperibus, et si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Caritas magnanima est, caritas benigna est. Caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non dehonestatur, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem ueritati. Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia suffert, Caritas nunquam cadit? Quanta est ista? Anima litterarum, prophetiae uirtus, sacramentorum salus, sciencie solidamentum, fidei fructus, diuitiae pauperum, uita morientium.

Augustinus Hipponensis, *De diuersis sermones*, 350, 3 (PL 39, col.1534-1535).